

GERMANIAE VNIVERSALIS TABVLA I.

GERMANIAE nomen variè deriuant: sunt qui Latina voce sic dictos arbitrantur, quòd eius populi ferè omnes inter se perinde ac fratres existant pares, tum corporum dispositione, tum moribus atque viuendi ritibus, ac à Græcis vocabulo idem significante dici volunt *ἀδελφοί*. cui rei astipulatur Conradus Celtis, cum inquit, Germanos vocant Itali Graij: sed *ἀδελφοί*. Quòd fratrum soleant inter se viuere more: quam sententiam noster Becanus rejicit non immeritò, quippe cum æquè Græci, ac Latini vno eòs nomine Germanos vocarint. Strabo putat inde Germanos dictos, quòd Gallis seu Franciæ populis quo ad corpora, & ad mores conformes fuerint. Hodie multum differunt: Nonnulli à germinando Germaniam dictam credunt, quòd plurimi inde populi germinarint: alij hoc modo interpretantur: Germani dicuntur quasi gerentes immania. Reliqui *Garman* vocem esse vernaculam eius incolarum interpretantur, atque idem sonare quod, omnino viri, seu omnes viri: eamq; opinionem corroborat Munsterus: indicans ex Thargo Ierusalomitano etià apud Hebræos seu Iudæos Germaniam non Germaniam dici. Hanc tamen nominis interpretationem, vt arrogantem rejicit Becanus, & vt simul hanc literarum commutationem, qua a in e trāsisse dici posset, ac arrogantem etiam interpretationem tollat, vocem ortam dicit à *Geer*, quod & desidero & congreco significat, superioribus Germanis prima tantum significatione notum: Ita vt Germanus idem sonet, quod, vir desideriosus seu cupidus, vel cupiens viros: seu vir corradens, seu vtrumque simul, vir corradendi cupidus. Vt vt tandem sit, verisimilius est vocem esse teutonicam & vernaculam eius populi, quam à Romano eoque inimico populo voluisse Theutones relicto gentili patrioque nomine, peregrinum ac non intelligendū sibi nomen adsciscere. Alemanniam etià nonnulli vocant, antiquiori aliquanto vocabulo, de cuius etymo complures sunt opiniones. Berofus ab Hercule Alemāno esse putat, quem hisce populis præfuisse tradit. Alij autem à Manno Tuiscōnis filio appellatam volunt. Sunt qui à Lemmano Sabaudia lacu deriuatam appellationem putent, quorum minus probatur sententia, cum absurdum sit minimèque verisimile, tantum tamque celebrem populum nomen sibi sumpturum ab exiguo alterius regionis lacu. Nonnulli quoque opinantur teutonicam esse vocem, & superiori æquipollere, tanquam dicant *Alle mannen*, omnes viri: Quanquam tradunt aliqui, esse id vocabulum non totius Germaniæ, sed eius tantum partis quam Hafsiam hodie vocāt. Eos Volaterranus ex Asinio refert, esse genus aduentiu in Germania, ex varia colluie gentium, aitque à Græco *ἀλμάναι* deriuari, quod errare vagarique significat, quamuis & vernacula lingua in hanc sententiam trahi possit, vt sit *alleman* quasi *yederman*. Alemannos etiam & Germanos diuersos eiusdē gentis populos fuisse ostendit Vopiscus in vita Probi, quem ait Germanos vltra Albim, Alemannos vltra Nicrum fluuios summouisse, ad Martianam syluam, quos nunc vocamus Schwartz vvalderos. Teutoniā etiam à nonnullis appellatā inuenimus à Teutone quodam eorum duce. Plerique tamen Teutsch & Tuisciam quam vulgari vocabulo *Theuschland* appellamus, nomen retinuisse affirmāt à Tuiscōne Noë filio (inter quos est Cornelius Tacitus) Is primus Germaniam occupauit, diuidente post diluuium terram inter filios & nepotes suos Noë. Teutones tamen, eos solos fuisse volunt, qui incolebāt loca circa Oceanum & sinum Codanum, iuxta Danimarchiam & Saxoniam. Extat adhuc hodie Deütsch eiusdem nominis vicus è regione Vbiorum vrbs, quam Coloniam vocamus, qui à Tuiscōne appellari creditur, quod ibidem commoratus esse feratur. Remansit itaque nobis id vocabulum antiquissimum tanquam per manus traditum semper à maioribus nostris. Regionis autem fines, ab authoribus non ijdem traduntur, ratio est non obscura, temporum videlicet diuersitas, quibus quilibet eorum scripsit. Berofus antiquissimus author, Thuisconem à quo Teutones deriuat, imperij sui limites habuisse affirmat ab Oriente quidem Tanaim fluuium & Pontum Euxinum, à Meridie Danubium fluuium, Rhetiam, Vindeliciam, & vtramque Pannoniam, ab Occidente Rhenum, à Septentrione Oceanum. Ptolemæus autem & reliqui, augustioribus multo eam terminarunt limitibus ab Oriente Vistula fluuio, à Meridie Danubio, ab Occasu Rheno, à Septentrione Oceano Germanico. Quamuis nec ipsi sibi animo satis consentiat Ptolemæus, vt mox ostendetur.

Germania hodie extenditur ab Oriente quidem vltra Fistulam fluuium ad Schytas & Alanos vsque in Sarmatas, à Meridie vsque ad Alpes Italas, ab Occidente vltra Mosam fluuium; vbi Brabantiam & Flandriam, ac totā penè Belgicam comprehendit, ad Occidentalem Galliam, à Septentrione autē ad Mare Balthicum & Oceanū magnum vsque. Germaniam Ammianus Marcellinus diducit in primam & secundam. Primam incipit apud Argentoratum, eamque per Nemetes, Vangiones, & Maguntiacum ducit. Alteram à Colonia Agrippina per Tungros ad Mosam fluuium extendit, eadem Ptolemæus sub inferioris & superioris nomenclatura comprehendit, libro secundo, capite nono. Regio inquit, quæ circa Rhenum fluuium est, à mari vsq; ad Obrineam fluuium, inferior Germania appellatur: quod autem ab Obrinea fluuio, ad Meridiem extenditur, Germania superior appellatur. Vnde liquet, vt iam dictum est, Rhenum non fuisse vltimū Germaniæ terminum versus occasum: his nimirū vrbibus omnibus vltra Rhenum sitis, nec ab illis tam verè quam & magnā vocant Germaniam, annumeratis. Vnde nonnulli Germaniam diuidetes in Cistrhenanam & Transrhenanam diduxerunt: quarum hæc tota iam ferè Belgica Gallia occupata, Hollandiam, Zeelandiam, Geldriam, Brabantiam, Lotharingiam, Alsatiam, Heluetiam, Luxelburgensem ducatum, & si quæ sunt aliæ eius partis prouinciæ, complectitur. Illa Frisiam, Vestphaliam, Brunsvigiam, Hafsiam, Saxoniam, Marchiam, Daniam, Turingiam, Misniam, Silesiam, Franconiam, Sueuiam, Bohemiam, Voilandiam, Morauiam, Pomeraniam, Prusiam, & Liouoniam, & plerasque alias comprehendit. Nostram autem Germaniam hodie quoque in superiorem & inferiorem diuidunt. Huic quidem annumerantes quicquid inter Oceanum & Obrineam seu Mosellam & Moganum, seu Mœnum fluuios interiacet, siue cis, siue trans Rhenum sitæ. Illi verò quicquid est reliquæ Germaniæ à dictis fluminibus ad Alpes vsque Italas, etià citra Danubium existentes regiones. Ita vt inferioris Germaniæ prouinciæ sunt, Holladia, zelandia, Frisia, Fladria, Brabatia, geldria, Lotharingia, Austraia, Vesterich seu Neustria, Cliuia, Vestphalia, Hafsia, Turingia, Saxonia, Misnia, Dania pen' insula duo in se regna cōprehensa. Prussia, Pomerania, Liouonia, Marchia noua & vetus, Brunswigia, Mechelburgij & Holstainenensis ducatus, Luzatia, Silesia, & si quæ sunt eius tractus aliæ: Superioris autem Germaniæ regiones seu prouinciæ sint ab Obrinca, Mœnoq; fluuijs ascendendo: Franconia, Heluetia, Alsatia, Bohemia, Morauia, Pannonia seu Austria, Palatinatus superior, Bauaria, Athesia regio, Stiria, Carinthia, Rhetia, Vindelicia, Sueuia, Triboci, Vangiones, Nemetes, Palatinatus inferior ac complures aliæ minores prouinciæ, ducatus ac comitatus, quibus plerisque recenter hæc sunt nomina indita, ita vt vetustorum populorum ac incolarum mansiones, non nisi coniecturis aliquatenus assequi valeamus, pleræque etiam extra veram Germaniam constitutæ, posterius ei annumerare cœperi. De quibus sic scribit Aeneas Siluius Senensis: Comparemus cum veteri Germania nouam, & primum de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus qui quondā Germaniæ limites clausere, nunc per medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica regio, quæ Gallia prius erat portio tertia, nunc maiori ex parte Germaniæ celsit, lingua & moribus. Heluetij quoque gens antea Gallica in Germanos transiuit. Rhetia quoque & ipsum Noricum, & quicquid Vindelici nominis, inter Alpes Italas ac Danubium fuit, ad Germanos defecit. Ita vt etià alpes ipsas cælo vicinas, & perpetua niue rigentes, nomen Germanicum penetrās, in Italia quoque sedes posuerit, Brixone, Merane, Buiranòque in valle Athesis occupato. Austria quæ apud priscos Pannonici iuris fuit, & Norici portio in Germanicum nomen conuersa est. Styria, quam veteres Valeriam vocauerunt Theutonicum morem, atque imperium subijt. Carni quoque, quos modò Carinthianos Carniolosq; nominant, idem fecere. Ita vt fontes Drani Saurique nominatorū fluminū Theutonici iuris existant. Neque Alpes vllæ inter Italiam atque Germaniam sunt quorū summa cacumina non possideant Theutonici, qui ad Orientem non modò Albim, sed Oderam ac Viseellam transmiserunt. Et in ipsa quidem Occidentali Sarmatia Vlmigerorum & Gepidarum agros inuasere. Nam & Austria trans Danubium, & Morauia, & quicquid Slesitæ vltra Oderam possidet, Sarmatici quondam fuit soli. Quin & in Oceano & Balthico sinu, medias insulas sui iuris fecere Theutones, & hæc Siluius. Porro vix


est in Europa terra alia quæ maioribus fluminibus irrigetur quam hæc: E quibus undecim numerantur præcipua nauigabilia: Horum primum est Danubius, alterum Rhenus, de quibus suo loco, reliqua Nicrus, Mœnus, Amasus, Visturgis, Albis, Sueuus, Viadrus, Vistula, Mosella, quæ pluribus concomitata minoribus fluuijs, quorum numerandi hic locus non est, partim in Euxinum Pontum, partim in mare Germanicum exonerantur. Montes verò nominatissimi sunt, Rolbergus, mons Ifidis, Melibocus, Pinifer, Hefus, Ostbergus, Senus, Sneuus, Pauonis, Rheticus, Seuo, Sprulius, Vocetius, Vosagus. Syluæ insunt plurimæ, duæ tamen præcipuè, quarum Hercynia altera, reliquarum ferè omnium mater, Martiana altera. Insulæ Germaniæ annumerantur à Plinio, Balthia, quæ Pythias Basiliam nominat, Oonæ, in quibus ouis auium & auena incolæ viuunt. Aliæ in quibus equinis pedibus homines nascantur Hippopodes appellati, de quibus nostra ætate nihil constat, nisi eas fortassis circa Finnarchiam fitas quis putet, vbi crebra spectra (quæ ego potius dæmonia, quam homines esse dixero) conspici ferunt, quibus ea loca nota sunt. Aliæ Fanæstorum, in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota tegant: hæc quoque pro phantasmatis potius, quam pro rebus habenda. Godanus verò sinus, refertus est insulis, quarum clarissima Scandinavia. Inde Saxonum insula, Dania, Suecia, Norwegia peninsula, Sialandia, Fionia, Zeelandiæ septem, & quas Scaldis fluuius efficit, & Vvagræ, Phinnia, Ottonia, Falstria, Lalandia, Fimbria, Pole, Buze, Cristoa, Rugia, Olda, Groenlandia quoque & Islandia, quam Thylen dixerunt. Item in ipso Rheno insulæ Batauorum, & Caninefatum quod est territorium Gorckumense in Holladiæ, & Frisiorum, Caucorum, Frisiabonũ, Sturiorum, Marsatorũ, quæ inter Helinum ac Fleuũ sternuntur. Ita enim appellatur ostia, in quæ effusus Rhenus, ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore modicũ nomini suo custodiens alueũ. Germanorũ autè omniũ antiquitus recensentur genera quinque à Plinio. Horum primi sunt Vindelici, quos verius, inquit Beatus Rhenanus Vandalos nominauerimus, hij fuere Germanorum vltimi versus Gothos & Gepidas. Alterũ genus est Ingænonum, seu rectius Vvigeuonum, *Vhic* enim siue *Vbig*, lingua Saxonica, & Germanorũ qui circa mare habitant, sinum maris aut fluuij significat, quem superiores Germani Vvog appellant, vvigenones itaque dicti sunt, qui sinus maris incolunt. Tertium genus est Istænonum, quos ad Rhenum locat, tanquam vltimos & remotissimos cultores dicat, respectu nimirum eorum, qui ad Oceanum habitabant, vbi præcipuũ Germanorum regnũ fuit, quibus ipse Tuiscon olim imperasse dicitur, ij enim hos Istænones dixerunt, quos iam Germanus superior paulò duriore voce Vvferstewoner diceret. Quartum genus est Hermionum, seu potius Herdwonum, *Herd* enim Germanorũ lingua terram significat: fuere autem hi mediterranei Germanorũ populi. Quintum genus est Peuciorũ & Bastarnarum, ad Danubium Dacis vicinorum. Populos verò qui veterem incoluere Germaniã, recenset Cornelius Tacitus, Indigenas quidem, Theutones, Cimbro, Marfos, Gambrinos, Sueuos, Vandalos, Batauos, Caninefates, Mathiacos, Cathos, Vvspios, Teueteros, Brueteros, Chamanos, Angriuarios, Dulgibinos, Chasuaros, Frisios, Chancos, Cheruscos, Fosos, Semnones, Longobardos, Rendignos, Auiones, Angilos, Varmos, Endosès, Suardones, Nuithones, Nariscos, Hermunduros, Marcomannos, Quados, Marignos, Gothinos, Ofos, Burios, Lygios, Arios, Heluecones, Manimos, Elyfios, Naharnales, Gothones, Rugios, Lemonios, Sniones, Aestiones, Sitones, Peucinos siue Basternas, Fennos ac Venedos. Terra insuper ipsa, teste Solino, hominum diues, & populis immensis frequens, qui si cum reliquis conferantur nationibus, vt ait Ioannes Theutonicus, minimũ fuci, plurimum antiquæ sinceritatis ac fidei, & rusticanae, vt dici solet, veritatis obtinent. Tacitus inquit, scenus agitare, & in vsuras extendere ignotum, eò quod minimè auari, fraudulentis ac subdoli essent, rerum nuda, ac simplici permutatione utebantur, merces dabant, merces recipiebant, contenti sua sorte, vtpotè apud quos plus valebant boni mores, quam alibi bonæ leges. A pristinis nũc Germanorum moribus longè discessum est, auaritia omnium mentes obsidente. Ipfis verò vt plurimũ truces oculi ac carulei, rutilis comæ, procera corpora, ad primos impetus subita & præceps natura. Vestis erat sagum olim, quod fibula, aut vbi fortè hæc deerat, spina conferebant, hodie desijt hæc frugalitas, nec desunt qui ex ostro & serico vestiantur; dignoscebantur tum nobiles ex veste stricta, singulos artus exprimente, nunc luxuries summa, vestis etiam priuatis plerisque laxissima, ita

vt repertus sit qui braccæ suæ subderet serici vlnas nonaginta nouè, quæ sitisq; cur non vna adhuc addita centenarium compleret, respicit vocem dissyllabam mox prolata, sonantiori itaque se numero vsu esse. Splendidè me herclè nunc vestiuntur nobiles, argèto auroque ac serico diuersicolore, tam viri, quam mulieres domi forisq; exornantur. Cæterorum, quo vtuntur, habitus virorum communiter laneus est, quo mulieres lineus, sed ad eò vtrorumque diuersus & colore & forma, vt rarò vnus sicut alius vestitus appareat. Quo respiciebat pictor ille, qui rogatus, omniũ nationum habitus exprimeret, studiosè ac singulari industria singulas veste gentilitia depinxit. Germanum cum pingeret, nudum pinxit, pannorum fascem in tergo gestantem, interrogatus causam, respondit, in tanta habitus diuersitate, nõ potuisse se quidquam de Germanorum vestitu asserere, quod ei genti peculiare esset: pannum itaque ei se tribuisse tanquam materiam, ex qua pro libito sibi vestem confarcire possit. Ita enim aduenticijs nunc & nouis vestimentorum formis gaudent, vt inde non immeritò leuitatis coargui possint. Sermo gentis, asserente Beato Rhenano, longè lateque fusus, sua tamen idiomata habet, gaudet vocibus primigenijs monosyllabis. Porrò Germanorum littoralium, quos vetustas Vvigeuonas appellauit, & Insularium lingua, mollior, vt Francorum veterum qui Chancorum pars fuere. Saxonum Frisiorumque ac Danorum, Mediterraneorum verò seu Herdwonum, durior, vt Suenorum, Quadorum, Narcomannorum, & Hermundurorum, vt hodie in Transdanubianis regionibus, Pannonia prima Norico & rætia loquuntur. Ipsam tandem Germaniam Cornelius Tacitus, informem terris inquit esse, asperã cælo, tristem cultu aspectuque, ac in vniuersum aut syluis horridam, aut paludibus infœcundam. Humidiorem qua Gallias, ventosior qua Noricum, ac Pannoniam aspicit: Frugiferarum arborum, & omnis culturæ impatientem, sterilem, pecorum tamen fœcundã, sed plerunque improcerorũ, auro atque argento immunem, & propterea vilem despectamque ab omnibus. Hodie regio est ad eò amœna, ad eò pulcherrimis nitidissimisque vrbibus, castris ac pagis passim exornata & exulta, vt non Italiæ, non Galliæ, non Hispaniæ ipsa cedat. Cælum satis clemens habet, agrorum campique fertilitatem optandam: sunt colles aprici, sunt nemora opaca, frumentorum abundãtia, viniferi montes. Mille hic iam hortorum ac villarum delitiæ, nulla viridaria pomariæ, nullæ confitiones, nulla tempe, nulla vineta desiderantur. Solum ipsum hordeo, tritico, filigine, farre, milio, auena, ac omni frumentorum, leguminum atque obsoniorũ genere ferax, campi vberes, prata læta. Sunt clarissimi amnes, mineræ salis plurimæ: Thermæ salubres, aquas calentes passim producente natura. Non argenti, iam nõ auri, non margaritarũ tandem hic incognitus vsus est. Vniuersa & Gallia & Hispania & Italia argentum ex Germano negotiatore ferè omne habuit, priusquam ad Indias nauigatio aperta foret. Metallorum ita omne genus habet, vt nec auro sit priuata, horum iam inuestigatis mineris, quo infeliciores sunt, quod miseros in terræ viscera iam aurifitis intruserit. Hic nulla non literarũ cognitio, legumque disciplina, nulla non bonarum artium studia florent. Videat ergo hic Tacitus noster, quam sæpe bona materia cesset sine artifice. Atque hæc hæc tunc de regionis diuisione, eius populis ac qualitate, nunc situm sub circulis cælestibus considerãtes, eius quoque quantitatem ac magnitudinem eliciamus. Pars itaque eius occidentalissima ad Iccium portum quem Caletum vocant 17. æquatoris partibus. Orientalissima autem circa montem Regalem Prusis 41. eiusdem circuli partibus subiacet. Latitudo autem Septentrionalissima à Tutia extremis 56. partium. Meridionalissima circa alpes 43. partium est, cuiusuis maximi circuli. Incipit ergo ac subiacet à principio sexti climatis, vsque ad principium noni climatis. Ita vt parallelus eius Australissimus sit decimus tertius, vbi dies prolixior est horarum 15. & 1/2. Medius autem parallelus sit principium 16. Ibiq; dies longissima horarum 16 1/2. Septentrionalissimus autem parallelus est decimus octauus, ibidemque diei prolixioris longitudo est horarum 17 1/2. Hinc si miliaria elicere velimus, gradus intercepti inter vtramque longitudinem in hoc parallelo qui transit per Gessoriacum seu Iccium portum, qui est decimus sextus, conficient in quouis maximo circulo partes 16. quæ miliaria exhibent longitudinis ab occasu in ortum Germanica quidem 240. Italica verò 560. In latitudine autem, hoc est à Meridie in Septentrionem exhibentur miliaria Germanica 195. Italica autem 780. atque hæc regionis mensura esto.


DE MARI GERMANICO.

VM Germaniam vniuersam tum hac, tum sequentibus tabulis pro virili illustrandam susceperimus, maris quoque eius littora alluentis cum nomina, tum proprietates quasdam illi peculiare, nonnullasque quas cum reliquo mari communes obtinet, breuibus perstringi res ipsa postulare videtur. Præmissis itaque quibusdam vniuersalibus eius elementi nauibus, deinceps Germanici maris propria enumerabimus. Generali itaque, ac omnium notissimo vocabulo mare dicitur, quasi amarum dicas, ab aquarum siquidem amaritudine mare dictum putatur, qua occasione & Salum dictum volunt, à sapore nimirum salis, ob idque Græcis etiam ἅλιος appellatur, nec desunt quibus ἀπό τῆς σαλέουσι Salum deriuare placeat, quod mouere fluctuareque significat: Inde AEquor ab æquando, seu plana æquaque superficie vocatur, nonnullis etiam iam à tempestate fluctuantibus procellis πῆλαγος nominatur. Maximum autem illud mare, quod totam terram ambit, à velocitate Oceanum appellat. Fretum præterea à feruendo dictum, à similitudine scilicet feruentis aquæ, quod in fretum sæpè concurrat æstus atque feruescat: Græcis πορευμός vocatur. Propriè autem maris angustiora significat, quæ, quod aqua minus liberum habeat fluxum, vehementius solent concitari. Cuiusmodi est Fretum Gaditanum, angustia nimirum illa quibus Athlanticum mare irrupit terras, Fretum Siculum, mare quod Siciliam ab Italia dirimit: strictum id quoque Latini dicere possunt. Euripus Maris pars est, inter Phocidem Bæotia partem, & Eubœam insulam, cuius Strabo meminit lib. 9. id fretum est, septies die ac nocte recipiens aquas, tam rapida conuersione, vt quemadmodum author est Mela, ventos ac etiam plena ventis nauigia secum portet. Neque dum huius tam stupendæ rei causa satis idonea peruestigata est à scriptoribus, Bosphorus angustas maris fauces significat, à meabili bouis transitu imposito nomine, quasi τῆς βόως πορεία. Sunt autem duo Bosphori, Thracius & Cimmericus, tanta vterque angustia, vt & alitum cantus, & canum latratus ab vteriori littore inuicem audiatur, manente etiam humanæ vocis inter duas arbores commercio, nisi cum id auferunt venti. Thracius Bosphorus iuxta Byzantium est, Asiam ab Europa dirimens. Cimmericus in introitu est Mæotidis paludis, iuxta Tauricam Chersonesum, per quem Mæotis palus in Põtum defluit. Pontus propriè dicitur mare illud quod à palude Mæotide vsque in Tenedum protenditur, sed vbi primùm se arctat à Tenedo incipiens à casu Helles, vocatur Hellepontus, vbi se expandit. Propontis, vbi iterum arctatur Thracius Bosphorus, vbi autem latissimè diffunditur, Pontus Euxinus, qui curuatur in figuram Scythici arcus, committitur ostio Mæotidis paludis, idque ostium Cimmericus Bosphorus vocatur. Figuratè autem pro quouis mari ponitur Pontus. AEstus autem propriè dicitur feruor ille, cuius concitatione marini motus, agitationesque fluctuum eueniunt. Vnde loca ea ad quæ mare certis temporum interuallis horisque intra terras se recipit, AEstuaria vulgò vocantur, deinde per transumptionem pro vniuerso Oceano vsurpari cœpit. De hoc verò AEstu operæ precium duxi Pomponij Melæ verba hic ascribere, quod nimirum ijs tanquam pictura quadam ad oculum apposita maris vicissitudines explicet, commonstretque. Cum initio libri tertij Hispaniæ extima littora describens, hæc sequentia de eiusdem accessu recessuque, seu si manus incremento decrementoque profert: Restat ille (inquit) circuitus quem cingit Oceanus ingens, & infinitum pelagus, & magnis æstibus concitum (ita enim motus eius appellant) modò inundat campos, modò late nudat, ac refugit, nunc alios, aliosque inuicem, neque alternis accessibus, nunc in hos, nunc in illos impetu versum. Sed vbi in omnia littora, quamuis diuersa terrarum, insularumque ex medio pariter effusum est, rursus ab illis colligitur in medium, & in semetipsum redit tanta vi semper immissum, vt vasta etiam flumina retroagat, & aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat. Neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat vnam, vndique si (vt doctioribus placet) vnum animal est. An sint depressi aliqui specus, quo

reciproca maria residant, atque inde se rursus exuberantia attollant: an Luna causas tantis meatibus præbeat. Ad ortus certè eius occasusque variantur, neque eodem assidue tempore, sed vt illa surgit ac demergitur, ita recedere atque aduentare comperimus. Hactenus Mela: cuius sententiam sequutus Solinus, in hunc modum scribit de causa accessus, recessusque marinorum fluctuum. Physici (inquit) autumant animal esse mundum, eumque ex varijs elementorum corporibus conglobatum moueri spiritu, mente regi: quæ vtraque diffusa per membra, omnia æternæ molis vigorem exercent. Sicut ergo in corporibus commercia sunt spiritalia, ita in profundis Oceani maris quasdam mundi, per quas emissi anhelitus, vel reducti modò inflent maria, modò reuocent. Hæc ille: Quam quidem opinionem præter Aristotelem (qui nec animantem esse mundum, nec vsquequaque sensibilem, nec rationis nec intellectus compotem affirmat) etiam D. Augustinus reijcere videtur lib. de ciuitate Dei quarti cap. 12. Vbi Deum ait esse finem quendam in seipso continentem omnia: non tamen ita suæ creaturæ insitum, vt animal ex Deo & creatura quisquam compositum existimet. Hac itaque ratione vt pote incongrua existente explosa, nec altera, item quare à Mela adducitur verisimilis satis idonea existimari debet, depressi nimirum specus, in quos ingenti scilicet se mole vibrans, aquarum cumulus mergatur, & rursus meatuum repagulis pulsus exundet: quod à spiritibus sub aqua existentibus fieri nonnulli existimant. Haudquaquam enim sufficiens videtur ratio hæc, quæ totum adeo trahat Oceanum: quamquam partim nunc vento, nunc vaporum spiritumque eruptionibus, atque alijs huiusmodi fortuitis causis moueri ipsum contingit. Verus autem Macrobius lib. in Somnium Scipionis 2. illum maris motum ex eo putauit esse, quod sinus Oceani Orientales & Occidentales cõtinuò cursu sese feriat, impetuque immaniore misceatur, ex quarum collisione nascatur famosa illa Oceani accessio pariter & recessio. Omnium autem certissimam verissimamque eius rei causam esse, Lunaris syderis cum motus, tum dispositio, quæ seu ad Solem seu ad cætera erratica obtinet sydera, quotidiana eademque infallibiles testantur obseruationes, authoritatque Ptolomæi, ac aliorum maximorum virorum. Quin & nos quoque compertum habemus in Germaniæ inferioris, Galliæque maritimis regionibus, mare transitu Lunæ per quatuor mundi cardines, angulosue trahi. Quare Oceanum Lunæ comitem esse, cum que ea simul & senescere & adulescere solere, non immeritò dixit Gellius lib. 14. Omni siquidem die mensis variantur marini æstus secundum Lunæ transitum per angulos. Ex oriente enim Luna supra Horizontem loci cuiuscunque, æstuant freta, ac versus interiora regionum, vasto impetu deuoluuntur, donec eadem Meridianam lineam eius loci contingat: à qua dum sese ad Occasum recipit, rursus regrediuntur fluctus, placideque sese componunt, dum nostris Luna conspectibus abducatur. Hic iterum occiduo Horizonte transito paulatim sese attollit mare & altius vndas erigit: sed à mediæ noctis linea properantem versus ortum Lunam sequitur. Postremò mare, seque in seipsum recolligit, sitque hoc pacto, vt 25. horarum spacio ferè plus minus, bis Oceani accessum & recessum videamus. Augentur verò iidem, minuunturque pro Lunæ senectute. Contingit autem vt nulli accessus maris recessibus quantum ad durationem attinet temporis pares sint, nisi quum insignis æquinoctij Luna existit, aut magis in ipsis æquinoctij punctis, sine omni latitudine. Contingit item duplici spacio durationis alteros accessus, recessusque ab alteris vinci, cum in tropicis cita Luna rapitur. Eadem signa Brumalia tenente, duratio primi accessus recessusque multo maior fit his motibus, quos ab angulo Occidentis sub terra ortum vsque suscitatur. Et contrario quidem modo cum in Australibus signis circumuoluitur, denique Luna existente in iisdem Borealibus signis diurni æstus nocturnos, quantum ad durationis tempus attinet, excedunt, idque eo plus quo magis in Septentriones Luna euehitur, seu ratione signorum, seu etiam ratione latitudinis suæ Septentrionalis ab Eccliptica. Contrà contingit dum signa Meridionalia peragrat Luna, tum enim nocturni æstus diurnos excedunt,



GERMANIA
universa, Europa totius
Regio longe florentissima
per Heilrichum Zellium
elucubrata, ac demum recognita.
excusa Antwerpiz per
Gerardum de Iode.



Miliaria germanica
Miliaria germanica magna
Iohannes a ... Lucas a ... fecerunt.
Cum privilegio